

QK. 525/46

B. M. II, 482

AD
ORATIONEM SOLEMNEM
QVA
VIRI
DVM VIVERET
EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMIQUE
IOANNIS FRIDERICI
MENZII, X2316443

II f
277

WESTPHALI,
PHYSICES PROFESS. ORD. ACAD. DECENVIRI
ORD. PHILOS. ET NATION. SAX. SENIORIS NEC
NON MAL. COLL. PRINC. COLLEGAE, ET
ALVMNORVM REGIO-ELECTORALIVM
EPHORI,

A. R. S. MDCCXLIX. D. XIX. SEPTEMB.

PIE PLACIDEQVE DEFVNCTI,

MEMORIA RECOLETVR
IN AVDITORIO PHILOS.

A. MDCCCL. D. XIX. SEPT. HORA IX. MATVT.
AVDIENDAM

VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES
HVMANISSIME INVITAT

ET ANEKΔΩΤΑ QVAEDAM LEIBNITIANA
IN LVCEM PROTRAHIT

ORD. PHILOS. H. T. DECANVS

IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS.

LIPSIAE

EXCVDEBAT IO. GOTTL. IMMAN. BREITKOPF





Q. D. B. V.



uum certatim Viri Eruditi, per omnem fere Europam, Epistolas, aliaque Scripta minora Illustris quondam Germaniæ Polyhistoris, **GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII**, ex tenebris in lucem pertrahant; vitio mihi a nemine rerum intelligente versum iri confido, si ego quoque nonnulla, vel inedita, vel rariora saltem **TANTI VIRI** cimelia, ab aliis vel prætermiſſa, vel nondum detecta, cum erudito orbe communicavero. Eo magis autem, quæ in medium allaturus sum, attentionem merebuntur intelligentium; quo utiliora esse poterunt, ad errores quosdam eorum corrigendos, qui Vitam ejus, inter Gallos præsertim, scribere aggressi sunt. Quod, antequam fiat, indicandum mihi ante omnia videtur, unde mihi harum epistolarum, quas publicare aggredior, copia facta sit.

Quum anno superiore, **Thermas Carolinas** petiturus **Zwickavii** aliquantisper hærerem, bibliothecamque **Gymnasii** instructissimam pariter, ac antiquissimam perluſtrarem, factum est, ut inter **MStæ** etiam, **Vir Doctiss.** et **M. Rev. WELLE-RVS**, qui pro singulari, qua flagrat in litteras, amore, totus, ut ita dicam, in illa est; **LEIBNITIANAS** quoque epistolas binas, propria manu ejus exaratas, ostenderet. Ad **DAVMIVM**, **Rectorem Lycei celeberrimum**, perſcriptas eas fuisse, statim patebat,

rebat; et anno quidem superioris sæculi LXVI. Martio, Majoque mensibus. Quibus statim fugitivo oculo perlectis, digna utique videbantur, quæ publico traderentur; eo quod varia continerent, quæ notatu digna esse poterant, Vitam Leibniti justam concinnaturo. Annuebat quidem, describendi facultatem desideranti, Præclariss. Bibliothecæ Præfectus, *M. Christianus CLODIVS*; quem amicitia et honoris causa nomino: temporis autem brevitate, in itineris ulterioris festinatione, excluso, tunc non vacabat, has, post uberio rem aliorum messem, spicas eruditæ colligere. Pro sua autem humanitate et benevolentia, supra dictus *M. R. WELLERVS* operam suam non tantum pollicebatur; verum, revera præstitit: id quod gratus prædico. Sequatur ergo, his præmissis, epistola prior, ex *αυτογραφοῦ*, summa cum fide descripta:

Nobilissime et Clarissime Vir.

Cum simul ac in notitiam Tuam veni, statim beneficium senserim, nolui prius scribere, quam grati animi signum qualecunque dare liceret. Igitur quod plurimum a Te adjutus, ne verbulo quidem, nisi per clarissimum Fellerum, vel gratias egi, ægræ minime laturum, maxime spero. Quam primum autem exiit e prelo, nostra de arte Combinatoria dissertatiuncula, nihil antiquius habui, quam mittere: partim ne moram excusandi jus, aut gratias agendi occasionem perderem; partim ut recognosceres artes Tuas, et quorum pars magna ex ea ipse haberes. De arte Combinatoria inscripsimus, magis ut satisfaceret vulgi auribus, in quibus et Lullii artificium et Athan. Kircheri promissum increbuit, quam quod ita sentiremus. Neque enim variationem conjunctionum tantum, sed et retenta earundem rerum complexione, artificium situs commutandi sumus executi. Plus tamen in complexionibus operæ posuimus; quod utiliores hæc, etsi transpositiones jucundiores. Nam et professi sumus in opusculo, et experturus credet, harum scientiarum omnium clavem esse, denique hujus præceptis universam Logicam inventivam contineri. Dolendum quippe est, hodie partem



*Logicam de judicio ita prope solam urgeri, ut negligatur inventio; aut quæ traduntur, pontes sunt asinorum, distinctionum cruceſ, canonum peſſime intellectorum præcipitia. Sed hoc apud virum peritiſſimum fruſtra. Tranſpoſitiones addidi, ut ſuperiora ſe-
veriora et in fundamenta ſcientiarum molientia; jucunditate tem-
perarem. Earum ſpectaculum commodiſſimum verſus ſunt Protei-
Proteorum Tui: Tuorum vero utinam theatrum ſatis editum eſſet!
Hic libellus, ſi artis Tuæ magnitudinem modo aſſecutus ſit, ſatis
ſe præſtitiffè credet. Nam Tuæ recte expreſſa, etiam in humili
loco, per ſe lucent. Cæterum in nonnullis hæſi. Nam de Goldſter-
nii Proteo nihil fere compertum habemus, præter verba. Et Publi-
lius Porphyrius Optatianus, Poeta vetuſ ævi Conſtantiniani, in
manuſ noſtras, non niſi citatus venit; de quo quantum noveram-
us, in ipſo opuſculo diſſeruiſimus. Viriſque notiſſimam plenior-
em, ſi daretur, vel nunc demum ex Te diſcere, Clariffime Vir, quan-
ti æſtimaturus ſim, principia hæc favoriſ in me Tui, ipſe facile
vides. Denique promittitudini Tuæ juvandi me ignotum, aut po-
tius per me, familiariffimam tibi amicam, Rem Literariam; gra-
tias et nunc ago, et cum occaſio erit, habiturus ſum majores. Vale.*

Lipſiæ 26. Martii 1666.

Nobiliffimo et Clmo
CHRISTIANO DAVMIO,
Gymnaſiarchæ Zwicavienſi
de re literaria meritiffimo Viro,
Fautori ſuo Honoratiffimo etc.

id precatuſ,

Tibi quondam publico nomine, nunc
privatim obſtrictuſ,
M. Gottfr. Guil. Leibnüziiſ

Videmus hic LEIBNITII ingenium præcox, profundum,
fœcundum, ſolidumque, vicenni licet minor adhuc eſſet, Po-
lyhiſtor futurus. Videmus gratum erga ſtudiorum promotore-
rem DAVMIUM animum, moresque ad virtutem comitatemque
ſæculi compoſitoſ. Videmus tandem nauſeam, ex ſpinis Logi-
cæ Ariſtotelex, tunc ubique dominantis, ipſi ſubortam; ſtudi-
umque ejus, ad utiliora, Artem inveniendi ſcilicet, dirigendi
præcepta Philoſophiæ rationalis. Quæ omnia, ſi vel nomen
Auctoriſ abeſſet, LEIBNITIVM nobiſ totum quantum exhi-
bitura

bitura essent. Verum enim vero, apparet simul, et perspicue quidem, ex hac epistola, non multo tantum studio elaboratam fuisse hanc dissertationem, sed publico etiam ab ipso Auctore destinatam. Vix ea de re dubitare quisquam ex nostris posset hominibus, nisi ante viginti et quod excurrit annos, NICERONIVS, vitarum Scriptor Gallus, Tom. II. qui Parisiis A. h. sæc. XXIX. prodiit, ea de re dubium movisset. Vbi enim LEIBNITII quoque nostri vitam enarraverat, librorumque ab eo elaboratorum Catalogum exhibere aggreditur, inter scripta ejus hanc quoque refert, de *Arte Combinatoria* dissertationem. Tot autem nævis erroribusque pauca hæc scatent verba ejus, ut operæ pretium sit eadem adponere, et examini subicere. Ita vero habet p. 82. *Niceronius*.

12. De Arte combinatoria, Francofurti 1690. in 4. *Cet Ouvrage a été imprimé à son insçu; il l'avoit fait fort jeune en 1665, et on l'avoit déjà imprimé à Leipsic en 1668.*

Et I.) quidem male Auctor duodecimo. demum inter scripta Leibnitiana loco, dissertationem hanc collocat; ubi maturiora multo jam ediderat Scripta, editioque nova ejusdem, post XXV annos a priori illa exactos, appareret. Inter primos enim juvenutis fructus numeranda fuisset merito, ut et ingenium auctoris, a primis quasi unguiculis, eo magis, exinde cognosceretur. Minus recte etiam ab Editore Theodiceæ *Baravo Neufvillio*, XXII. annos natus hoc scriptum elaborasse dicitur Leibnitius; quum vel ipse in Epistola ad *Seb. Korboltum* d. 27. Jul. 1700, scribat: *Questiones de Jure Philosophicas, de Conditionibus Tractatum, Artem Combinatoriam, aliaque nonnulla, ante vigesimum edidi.* Quod verum utique esse, ex anno Nativitatis Leibnitianæ abunde patet, qui super. Sæc. XLVI. die III. Jul. fuit.

II.) Errorem insignem errat *Niceronius*, afirmando, præter voluntatem LEIBNITII, immo inscio eodem, editam fuisse hanc dissertationem. Contrarium enim, hæc ad *Daumium* exarata docet Epistola: utpote, qua se et Auctorem ejus profitetur, et de tracta-

tractationis ratione exponit sedulo; neque verbulum addit, eam furreptam sibi, seque invito typis excusam fuisse. Forsitan de nova hac, anni 1690 editione, verum illud fuit, uti ex recensione ipsius in A. Erud. ad A. 1691 patet; non autem de prima: uti verba Niceronii merito intelligenda videntur.

III.) Fallitur porro Auctor, dum annum primæ editionis LXVIII. superioris sæc. indicat: quippe ex Epistola ad *Daumium* evidens est, eam duobus annis citius prodiiisse, anno scil. 1666, et quidem Mense adhuc Martio currente. Vnde hæc omnia petierit *Niceronius*, me saltem fugit; addenda tamen fuissent, tamquam anecdotæ, ut fidem sibi conciliaret: nisi forte cum *Neufvillio* ex A. Erud. Lips. hausit, qui locus sphalmate laborat typographico, ponens 1668, pro 1666. In Otio quoque Hanoverano ipse Leibnitius: *Dissertatio mea*, inquit, *de Arte combinatoria*, *prodiit jam A. 1666, cum juvenis adhuc Lipsiæ studiis operam darem.*

IV.) Tandem æquum fuisset etiam integrum Leibnitiani Tractatus rubrum adferre, si ad manus Auctori fuisset: eo, quod plura notatu digna in se contineat. Cum in libraria supellectile mea qualicumque, rarius hoc Shediasma, in nulla hæctenus Leibnitianorum collectione obvium, asservem; defectum hunc hac occasione supplebo. Ita autem habet inscriptio Libelli:

Gothofredi Guilielmi Leibnuzii, Lipsiensis, Ars Combinatoria, in qua ex arithmeticæ fundamentis, Complicationum ac Transpositionum Doctrina novis præceptis exstruitur, et usus ambarum per universum Scientiarum orbem ostenditur, nova etiam Artis meditando, seu Logicæ inventionis semina sparguntur. Præfixa est Synopsis totius Tractatus, et additamenti loco demonstratio Existentiæ Dei, ad Mathematicam certitudinem exacta. Francof. apud Crækerum Bibliopolam 1690. 4. const. p. 78.

Liceat hic obiter errores quosdam *Niceronii*, in hac LEIBNITII vita commissos, leviter notare: qui profecto tales sunt, ut risum extorqueant nolentibus etiam. Et primus quidem est, ubi narrat pag. 76. l. c. Tantas fuisse Leibnitii demortui divitias,

ut

ut præter 20000 Thaleros elocatos, duplum hujus summæ penes eum in conclavi, et quidem *in grandibus saccis frumentariis observatum*, inventum fuerit. *On compte, que le bien, qu'il a laissé, montoit à soixante mille écus. Il en avoit placé 15 ou 20 mille à interet; tout le reste a été trouvé dans sa chambre en durats et en autres especes, qu'il gardoit dans de grands sacs à bled.* Rifum quæso teneatis amici!


Aliud specimen sit incuria *Niceronii* in recensendis scriptorum Leibnitianorum inscriptionibus, commissa. Pag. quippe 65. Dissertationem Leibnitii citat, de *principiis* individuationis; licet unicum tantum esse posse principium hoc, vel Tyronibus Metaphysices notum sit Pagina porro 77. N. I. Catalogi opp. Leibn. legitur: Specimen *difficultatis* in Jure, s. Diff. de Calibus perplexis; ubi necessario, *Difficultatum*, legendum fuisset.

Pag. 82. N. 15. verba ejus ita fluunt: *Il fit paroître en 1693 un petit Traité de l'Etat de l'Allemagne, tel, qu'on pouvoit conjecturer qu'il étoit, avant ce que l'Histoire nous apprend; auquel il donna le nom de PROTOGÆA.* Quis his verbis perlectis, non crederet, *Protogæam* Leibnitii jam tum, ante Sæc. superioris finem editam fuisse; quam tamen nuper demum Clar. SCHEIDIVS ex MSto se edidisse publice testatus est?

Pag. 55. N. 24. novum occurrit negligentia gallicæ specimen, ad latus illius merito ponendum, quo aliquis quondam *Articulum Smalcaldicum*, pro auctore aliquo germanico, hareticoque habuit. Hic enim operis cujusdam Gundlingiani inscriptio, et quidem prave detorta, crasso satis errore, in scriptore præsertim Hist. Litt. pro Auctore ipso sumitur. Videamus ipsa Auctoris verba:

24. De origine Francorum disquisitio, Hanoveræ 1715 in 8. *Mr. de Leibnitz dans cet Ouvrage fait venir les Francois de la Pomeranie et des rivages de l'Oder. Il fut attaqué en Allemagne par M. GRUNDLINGICIS, Professeur dans l'Univerfité de Hall, et en France, par le P. Tournemine, Jesuite.* Quis hic M. Grundlingicis, fuerit, in Catalogo Professorum Halensium, non sine jo-

co



co et risu facile quæverit quisquam. Plura alia lubens prætere-
reo; in scriptis Gallorum de rebus Germanicis ubique obvia.

Pergimus ad alteram epistolam, duobus fere mensibus recentio-
riorem, ad eundem Daumium exaratam; ut propter libros ex
Bibliotheca Zwickaviana sibi transmissos, gratiam ipsi referret.
Erudita et hæc est, et Grotii jam tunc admiratorem fuisse Leibniti-
um nostrum, ostendit: præterea Daumiana facilitatis, in promo-
vendis eruditorum studiis laboribusque, exemplum illustre in
lucem protrahit. Quare conservari, reliquisque monumentis
Leibnitianis jungi utique meretur.

Nobilissime et Clarissime Vir.

Libenter fusius scriberem, nisi solennes apud nos nundinarum
operæ, id est amicis peregre venientibus aut abeuntibus de-
bita officia, perpetuo inturbarent. Quæ tantum temporis vix
reliquerunt mihi, ut liceret, non dico debito meo satisfacere, sed sal-
tem juri Tuo. Nam ut a Grotio quoque disputatum est, alia debentur
quidem, sed exigi ab invito non possunt, ut gratitudo ceteræque a
justitia separatae virtutes; alia, quæ ex ipsa justitia speciali dependen-
t, et necessario dantur, et valide petuntur, qualis est commodati
restitutio. Quare hoc temperamentum officii mei inveni, ut hoc
statim præstarem, illa paululum differrem; sed ea lege, ut in poste-
sterum exigendi Tibi jus sit, et hoc velut favore mora compensare-
tur. Vides igitur, accipisque reduces, Nobilissime Vir, libros tuos,
tam privatæ tuæ diligentia, quam promptitudinis erga alios tes-
tes. Sed ne incomitati redirent, tria disputationis meæ exempla,
aut ut loquuntur, exemplaria adjeci. Superest ut declarem gra-
titudinem meam paulo expressius; sed hoc alii tempori et magis
vacuo debetur. Interim Vale, Nobilissime Vir, saveque

Datum Lipsiæ 17. Maji.

A. 1716.

P. S.

Vellem Discipulo Tuo, plusquam nunc
licet, usui esse possem, interim ei
quod frequentissimus apud nos est,
describenda quedam locavi.

Tibi obstrictissimo

M. Gottfredo Guilielmo
Leibnütio.

Hac

Hac occasione ita ferente, præter has epistolas Leibnitianas, aliud etiam, alius licet generis scriptum ejus, in lucem protrahere liceat, quod impressum typis quidem suo jam tempore fuit, temporis tamen injuria, fere pro deperdito haberi poterat. Illustris FONTENELLIUS in elogio Polyhistoris nostri, Historiæ Acad. Reg. Scient. Paris. inserto, ubi de facultate ejus poetica mentionem injicit, Latina æque ac Gallica lingua excellentia conscripsisse carmina memorat: germanico autem idiomate, propter linguæ hujus inconcinnitatem, nihil stilo poetico exarasse, conjicit potius, quam narrat. Audiamus ipsa Auctoris ingeniosissimi Verba: ex T. III. Opp. Fontenellii, Ed. quæ in 4. maj. a. 1729. Hagæ Comit. prodit, p. 233. et 234. *Mr. Leibnitz avoit du gout et du talent pour la Poësie. Il savoit les bons Poetes par coeur - - - Il avoit une fois composé en un jour un Ouvrage de trois vers latins, sans se permettre une seule elision. - - - Mr. Leibnitz faisoit meme des vers François, mais il ne reussissoit pas dans la Poësie Allemande. Notre Prejugé pour notre Langue, et l'estime qui est due à ce Poete, nous pourroient faire croire, que ce n'étoit pas tout à fait sa faute.*

Hæc verba satis indicant, Leibnitium, vel profus in vernaculis poematibus nihil diligentiam posuisse, vel ubi eadem attingerit, nullo successu id fecisse: hujusque rei rationem, non ipse ingenio, sed Linguæ vitio tribuendam esse; eo, quod gallica carmina idem composuerit. Verum quidem est, quod simulata quadam modestia, hocce judicium suum, præjudicio cuidam, de sua vernacula, Gallis profecto admodum familiari, tribuere velle videatur. Auctor. Verum quis non videt, virum acutissimum falso hoc Asteismo, nostram vernaculam eo petulantius petiisse, quo minus eam intelligit, deque ejus genio sententiam ferre valet.

Non igitur sine animadversione dimittendam rebar hanc contumeliam, publice Germanis impactam, ubi versionem hujus Elogii Theodiceæ Leibnitianæ vernaculæ, a me A. h. f.



1744 emendatæ editæque, præmissam, notulis quibusdam comitarer. Ad manus quidem tunc non erat, aliquod carminum Leibnitianorum specimen: qualia tamen legisse me, memineram; confidenterque affirmabam. Ast incidit nuper in manus, non id quidem, de quo tunc sermo erat, sed aliud quoddam poemation germanicum, *Leibnitii* nostri: quod, quia rarius est, et breviusculum, me hic apponere, haud gravabuntur Lectores patriæ amantes. Integrum, ex quo illud depromo, Scriptum duobus constat plagulis, *Memoriæque et Honori Dni. Johannis Brunnemanni, Medicinæ studiosi, Francofurtani ad Oder. Lipsiæ A. 1664. defuncti, destinatum fuit a Patronis Favoribus et Amicis.* En Odam ipsam:

1.
Wirrer Seelen Vaterland,
 Und stets unerschöpfte Quelle
 Ist des Allerhöchsten Hand,
 Aller reinen Geister Stelle,
 Wo der süsse Odem geht,
 Der in uns das Leben weht:

2.
 Wo die klare Flamme glühet,
 Welcher in uns Funcken seyn,
 Deren jede wieder ziehet
 Zu dem ersten Vesprung ein;
 Wo der Nebel ihren Glanz
 Hier nicht angestecket Gang.

3.
 Der nun helle Brunnemann
 Hat das Vaterland gefunden,
 Franckfürth, wie ers wünschén kan,
 Fund er in der Todes-Stunden,
 Da der Surt so franck und frey
 Allen in den Himmel sey.

M. Gottfried Wilhelm
 Leibniz.

Vel

Vel me non monente, quivis rerum poetiarum iudex
 æquus intelligit, et spiritum non mediocrem, et os magna so-
 naturum, et dictionis elegantiam jure hic desiderari non posse.
Opiziani sæculi viriles nervos refert Musa Leibnitiana; nume-
 rosque *Flemmingii*, civis sui, explere videtur, rotunda phrasi
 sua, plectroque sonoro. Unicum est, quod objicere forte
 posset Criticus aliquis, in navis antiquorum detegendis male-
 fedulus, erga recentiorum autem vitia indulgens: Lusum quen-
 dam scilicet, in verbis, hic observari in Strophe ultima; qui mi-
 nime decorus existimari debeat, secundum severiores Artis re-
 gulas. Verum, quemadmodum totum hoc, qualecunque est,
 præceptum, facile agnoscimus; largimurque, in eo lapsum esse
 LEIBNITIVM juvenem, utpote tum vix XVIII. annos natum:
 tamen veniam facile impetraturum fore confidimus, si ad sæculi
 illius mores et ingenium exigamus specimen hoc. Obtinebant
 quippe, et OPITII tempore, et diu post obitum ejus, lusius ejus-
 modi epigrammatici, in vocum etymologiis compositionibus-
 que occupati. Id, quod vel celeberrimi RAPPOLTI, Professio-
 ris tum Poeseos Lipsiensis, doctissimi profecto Viri, exemplo
 patet; qui in hoc ipso epicediorum fasciculo, sequens posuit
 poemation, ad defuncti nomen alludens:

*E facutinis, e lacunis prominus,
 Hic quidquid undæ est. Viva FONTE cælico
 Demum scaturit, rite quæ levat sitim.*

Idem ab aliis etiam doctis Viris, e.g. L. Jo. Adamo Scherzera
 tunc factum est, qui in eadem collectione ita canit:

*Vt mens pressa aestu, dulcem solamina FONTEM,
 Quo sine se putat haud vivere posse petit &c.*


Absit igitur, ut Leibnitio nostro, vel propterea artis Poeticæ ver-
 naculæ facultatem defuisse, vel Lingvæ durioris vitio tantum hoc
 factum esse, cum FONTENELLIO existimemus. Vtriusque
 enim conjecturæ falsitas, uti ex allato specimine constat, ita, ut
 con-

confido, pluribus documentis refelli poterit, ubi plura nactus fuero, que me detecturum spero, ingenii ejus poetici monumenta.


Hactenus hæc. Jam ad id accedendum est, quod scripto huic occasionem præbuit. Annus est, ex quo amissimus Senem doctum, de Academia per quinquaginta, et quod excurrit, annos, optime meritum, Philosophiæ naturalis doctorem excellentissimum, Collegam amicissimum, JOANNEM * FRIDERICVM MENZIVM, natione Westphalum. Multa de ejus in Litteras humaniores, scientiasque philosophicas meritis, in medium hic proferri possent: nisi peculiari hoc monumento propediem publicando, præstandum sibi sumisset Universitas nostra. Inventus etiam est, ex Civium nostrorum numero, vir juvenis nobilissimus et eleganter doctus, Magnificique Parentis sui, Academiæ nostræ Senioris summe venerandi, de eadem omnique re litteraria immortaliter meriti, vestigiis laudatissimis feliciter insistens, *Georgius Theophilus Bærnerus*, Lips. Jur. V. Cultor, qui defuncti Senioris nostri memoriam, comita oratione recolere statuens, me adiit, utque hoc sibi liceret, multa cum humanitate petiit. Non potui, ex Statutorum Ordinis nostri præscripto, deesse honesto ejus desiderio; diemque emortualem huic parentationi merito destinavi: cui, ut Academiæ Rector Magnificus, Comites illustrissimi, utriusque Reipublicæ Proceres, Civesque nostri generosi nobilissimique, frequentes adsint, ea qua decet et veneratione et humanitate, Ordinis Philosophici nomine, precor. Dabam Lips.

d. XIII. Sept. MDCCCL.

* Sic defunctum Seniore nostrum, philosophico quondam obtineret, vocatum et ubi lavacro quondam sacro ablutus fuisse constat: licet postea prius hoc, nomen acciperet, et ubi civitatem academicam adeptus Matriculæ idem profiteretur, et ubi honores ab Ordine Philo-



ma



QK. 525/46

B. m. II, 482.

AD
ORATIONEM SOLEMNEM
QVA
VIRI
DVM VIVERET
EXCELLENTISSIMI DOCTISSIMIQUE
IOANNIS FRIDERICI
MENZII, Pf
277

WESTPHALI,
PHYSICES PROFESS. ORD. ACAD. DECENVIRI
ORD. PHILOS. ET NATION. SAX. SENIORIS NEC
NON MAI. COLL. PRINC. COLLEGAE, ET
ALVMNORVM REGIO-ELECTORALIVM
EPHORI,

A. R. S. MDCCXLIX. D. XIX. SEPTEMB.

PIE PLACIDEQUE DEFVNCTI,

MEMORIA RECOLETVR
IN AVDITORIO PHILOS.

A. MDCCCL. D. XIX. SEPT. HORA IX. MATVT.

AVDIENDAM

VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES

HVMANISSIME INVITAT

ET ANEKΔΩTA QVAEDAM LEIBNITIANA
IN LVCEM PROTRAHIT

ORD. PHILOS. H. T. DECANVS

IO. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS.

LIPSIAE

EXCVDEBAT IO. GOTTL. IMMAN. BREITKOR

